



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 8. Sententia Thomistarum ponitur & oppugnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

volitio detestationis peccatorum, contritionis, & observantia divina legis, quæ volitio efficax iam pridem existerit eo ipso tempore, quo iste homo erat in peccato mortali, unde sequitur etiam tunc fuisse in gratia; quoniam etiam tunc habebat efficacem volitionem requisitam ad obtinendam gratiam.

322 Duas potissimum solutiones adhibent aliqui Theologi, primo namque respondent, eminentiam divinæ scientiæ, atque volitionis præstare quod præstare non potest limitatio, & imperfectio creatæ cognitionis, & volitionis. Hæc solutio verum dicit, falso tamen applicatur ad defendendam doctrinam oppositam. Verissime namque dicitur, eminentiam infinitam divinæ cognitionis, & volitionis hoc præstare, ut per eandem simplicissimam entitatem, & perfectionem intellectus præsciat omnia contingentia futura, & præsciret etiam alia, si forent alia futura; similiterque per eandem simplicissimam realitatem, & perfectionem volitionis efficacis, & libera velit quæcunque producit, & per eandem libere voluisset alias res, si alias decrevisset producere.

323 Cæterum iuxta sententiam, quam impugnamus infinita eminentia divinæ scientiæ, vel divinæ volitionis non præstat, ut Deus realiter per intrinsecam, & immanentem in se perfectionem determinate sciat, quæ sit futurum, & determinate velit producere quæ sunt producenda, sed dicitur deus hæc scire, atque velle propterea formaliter, & præcisè, quoniam habet necessariam scientiam, & volitionem, & illis superadditur relatio rationis vel extrinsecæ denominationis proveniens à forma Dei productione, vel ab effectibus producendis. Hoc autem nihil eminentiæ confert, neque prærequirit in divinæ cognitione ac volitione, quin potius imperfectiorem, inferioriorem, & limitatiorem quantum ad hoc constituit cognitionem, ac volitionem divinam qualibet creatæ cognitione, aut volitione, quæ realiter, & propriissime per seipsam formaliter præscit aliquos effectus futuros determinate, & realiter, ac determinate vult aliquid, facere prorsus independentem à qualibet relatione rationis, aut extrinsecæ denominatione, quæ à futuris productionibus ad extra, vel ab earum effectibus resultet in cognitionem, aut volitionem creatam.

324 Secunda solutio respondet in volitione nostrâ libertatem esse denominationem extrinsecam proveniente à potentia voluntatis, quæ potest non velle quoniam virtus imaginativa soluta: propterea quæ potest intellectum flectere ad utramque partem contradictionis; unde nihil mirum, si libertas in Deo si similiter sit extrinsecæ denominationis.

325 Verum tamen hoc exemplo non solvitur, sed augetur robor præsentis argumenti, quamvis enim nostræ volitionis libertas sit extrinsecæ denominationis, nihilominus ipsa volitio, quæ libera est, non potest esse denominatio extrinsecæ, sed omnino debet esse realis volitio. Præsens igitur argumentum, & reliqua primario intendunt probare volitionem creandi mundum; & cæteras volitiones effectus Dei esse reales, quo supposito, quid sit formaliter libertas in huiusmodi volitionibus, postea videbimus.

SECTIO VIII.

Thomistarum sententia ponitur, & oppugnatur.

Conclusio: Actus liber Dei non completur formaliter per ens rationis: probatur, Quia Deus, ut patet ex scriptura, & fide catholica, non sicte amat, & sic tale decretum habet veros effectus reales, quod non posset esse, si decretum esset fictum vel fictio aliqua creata: atqui si decretum liberum Dei constitueretur respectu rationis, tale decretum esset fictum, & non verum: ergo decretum liberum Dei non constituitur sic. Minor, in qua est difficultas, sic probatur, quia respectus, seu relatio rationis non est vera, & propria relatio, sed ficta ad similitudinem relationis realis & veræ, licet cum fundamento in re ipsa, sed hæc relatio ficta, & non vera, & realis est constitutum decreti liberi: ergo decretum liberum constitutum erit decretum fictum & non verum: consequentia patet, quia ideo genus, & universale est fictum, & non verum, & reale superius, quia relatio generis, & universalitatis non est vera, & realis, sed rationis & ficta, licet habeat fundamentum. Item Chimæra composita ex homine, & leone est ens chimæricum, & fictum, licet habeat duo constitutiva realia, naturam scilicet hominis, & Leonis, ex eo enim quod unio, vel identitas sit ens rationis fictum & chimæricum. Sed licet entitas Dei, supra quam cadit formalitas actus liberi sit realis, nihilominus formalitas talis actus est rationis, & ficta, licet cum aliquo fundamento: ergo etiam decretum Dei erit fictum & non verum, & reale.

Adde; quia dato, quod Deus nec fecerit, nisi lapides, nec decreverit facere aliud ens reale præter illos in tota latitudine entis creati. Tunc enim certum est, Deum habere decretum liberum, per quod decreverit facere, & producere supradictos lapides, sed tunc nullum esset ens rationis, quod posset decretum Dei constituere & nihilominus daretur decretum liberum: ergo evidenter sequitur tale decretum non constitui ente rationis. Minor sic demonstratur; quia sine causa dirigente nullum potest dari ens rationis fictum; alias ens rationis esset à se, & non ab alio, & haberet perfectionem, quam non habet perfectius ens, scilicet Angelus, homo, & leo, sed tunc nulla daretur causa talis entis rationis: ergo tunc nullum daretur ens rationis. Hæc minor sic probatur, quia adequate causa entis rationis duntaxat est creatura intellectualis: sed tunc nulla daretur talis creatura: ergo nulla causa entis rationis daretur tunc.

Nec potest dici, ipsum Deum facere illud ens rationis; non enim potest dici in sententia P. Vazquez, quia tantum abest, ut ipse concedat talem effectum, ut neget absolute, Deum cognoscere illud, ne forte faciat. Deinde late probavimus in metaphys. Deum non posse facere ens rationis. Sed demus Thomistis aliquibus; Deum posse facere illud interrogo, an illud ens rationis fiat necessario à Deo, vel libere; non necessario, quia alias actus liber non esset liber, sed necessarius, cum entitas Dei, quæ est unum constitutum actus liberi sit necessaria, & ens rationis similiter sit necessarium ens, id est sine

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 351

sine libertate factum, & sicut actus primo primus voluntatis non potest constituere voluntatem liberam in actu secundo, quia talis actus est necessario factus; sic similiter ens rationis necessario productum non potest constituere Deum actu volentem libere; Si autem fiat libere à Deo: ergo Deus quatenus vult facere libere illud, est causa illius, ita vt Deus libere volens sit causa, & ens rationis sit effectus Dei libere volentis; sed effectus non potest constituere villo modo causam suam, vt tale effectum producat, quod pater ex supra dictis: Deum igitur vt libere volentem non poterit constituere ens rationis, quia est effectus dei, vt sic volentis libere.

329 Deinde, quia vel ille respectus rationis est à seo confectus sine fundamento, & idem est de creatura quacunque, vel est cum aliquo fundamento: si primum, erit chimericum ens rationis, ac per consequens decretum illud liberum erit chimericum. Si secundum, interrogo, an illud fundamentum sit sola entitas increata, & necessaria Dei, & hoc non, alias ens rationis erit necessarium & per consequens decretum. Item non erit maior ratio, cur resulet ens rationis, quod sit in ordine ad hanc creaturam producendam potius, quam ad aliam, cum Deus ex parte sue entitatis, & omnipotentiae equalis, & communis sit respectu omnium, cum respectu omnium sit Deus, & omnipotens, & non deus in eo maior ratio respectu huius, quam illius præter quam quod si potest esse fundamentum entitatis increata actus liberi, fateamur ingenue hac ratione increata constitui formaliter decretum liberum & non fictionibus, si autem entitas diuina sola non sit fundamentum, sed simul cum creatura, redeunt omnia argumenta supra facta contra extrinsecum connotatum.

330 Præterea sic infringo aduersariorum sententiam, quia vel Deus fabricatur tale ens rationis per scientiam, aut per volitionem, sed non per scientiam, neque per volitionem: ergo nullo modo fabricatur deus talia entia rationis, per quæ constituitur actus liber dei. Minor quoad primam partem sic probatur, quia in Deo duplex tantum scientia datur, alia simplicis intelligentiæ, & omnino necessaria, alia visionis: sed per scientiam simplicis intelligentiæ non potest effici tale ens rationis, tum quia talis scientia equaliter ad omnia possibilia extenditur, & nullo modo intuetur creaturas futuras, aut existentes: sed actus liber Dei per suam tendentiam non terminatur equaliter ad omnes creaturas possibiles, sed solum ad actuales, & futuras: ergo talis tendentia non fit à scientia simplicis intelligentiæ, tum etiam quia scientia simplicis intelligentiæ est omnino necessaria, sed à causa necessaria non potest prodire formalitas liberi quatenus talis, & indifferens quale est complementum actus liberi formalissime: ergo tale complementum non fit à deo, media scientia simplicis intelligentiæ. Tum denique quia ex parte scientiæ simplicis intelligentiæ nulla est ratio quare pro his magis, quam pro illis creaturis fingat entia rationis, quibus voluntas eas diligit, atque ad producendum determinetur, cæterum si ipsa esset causa entis rationis, qui est actus liber, & non voluntas, ipsa esset facultas libera ipsa causa existentiae, ipsa creaturas diligere diceretur, & non voluntas.

331 Deinde: quia deus per voluntatem vt sic vult libere: ergo id, quod addit velle libere per voluntatem additur, non per intellectum formaliter loquendo: ergo respectus ille rationis, qui confurgit

per actum intellectus vt sic, non potest esse id, quod formaliter addit velle liberum supra velle necessarium.

Declaratur amplius, quia decretum liberum 332 Dei est actus voluntatis diuinæ, & non intellectus: ergo virtualiter à parte rei, vel formaliter nostro modo intelligendi profluit à diuina voluntate adæquate, & totaliter, & non ab intellectu: sed respectus ille est complementum actus liberi: ergo complementum illud debet profluere à voluntate diuina, & non ab intellectu solo. Exemplo creatæ voluntatis declaratur. Totus actus volitionis creatæ, quia essentialiter voluntarius est, ac proinde actus vitalis voluntatis necessario adæquate, & totaliter debet profluere à voluntate, & non ab intellectu solum, aut ab alia potentia distincta à voluntate, alias voluntas adæquate non se moueret per suum actum; neque se reduceret de actu primo ad actum secundum à seipsa, sed potius passivè solum se haberet in illo actu, non agendo, sed solum recipiendo id, quod intellectus agit in illa; sed in sola receptione non datur vitalitas: ergo in tali actu non vitaliter se haberet voluntas, neque viveret per illum, & per consequens talis actus non esset adæquate vitalis, sed actus vitalis voluntatis adæquate est vivere voluntatis: ergo adæquate fluit active à voluntate, & non solum recipitur ab illa, quia si tantum reciperet illum, quasi inanime quid se haberet voluntas, vt decernit Concilium Tridentinum agens de libertate.

Tunc sic actus liber dei adæquate est actus voluntatis diuinæ: ergo adæquate est ab ipsa voluntate diuina, quasi active se mouente per illum: ergo nihil est in illa, quod non virtualiter à parte rei, aut formaliter nostro modo intelligendi profluit ab illa: sed respectus ille rationis, quem vos fingitis, est vltimum constitutivum actus volitionis diuinæ liberæ: ergo respectus ille debet profluere ab ipsa voluntate, & esse intrinsece in illa, & non fieri ab intellectu: pater consequentia, quia omnis respectus, aut ens rationis, quod fingitur ab intellectu, aut efficitur ab ipso, vere non est extra intellectum sed potius est in ipso intellectu cognoscere illud, & ideo dicitur quod obiectivè solum est in intellectu: vnde extrinsece se habet ens rationis fictum ab intellectu respectu cuiusque potentiae distinctæ ab illo, & quod certius est, vere, & realiter non existit intrinsece extra intellectum, alias non ens rationis, sed ens reale esset vt late explicuimus *Traité de l'Ente rationis*, sed totus & adæquatus actus voluntatis non solum per rationem, sed vere, & realiter existit intrinsece in voluntate diuina: ergo complementum talis actus liberi non est fictum à scientia diuina nec ab intellectu ipsius.

Deinde proba nunc non fieri talem respectum 333 rationis per scientiam visionis; nam scientia visionis sequitur ad decretum liberum completum; vnde habet pro obiecto ipsum decretum liberum iam factum, & futuritionem creaturarum; & ideo hæc est vera causalis, ideo deus videt per scientiam visionis creaturam futuram, quia ipsa iam futura est, & non è contra ideo est futura res, quia deus videt illam: ergo futuritio creaturarum præcedit scientiam visionis, & est prior illa, sed decretum liberum dei adæquate, & complete secundum omne complementum illius est prius futuritione, & prioritate naturæ antecedit illam, quia est causa illius, vt supra demonstravimus: ergo decretum illud liberum antecedit etiam scientiam

352 Disputatio XIX. De voluntate Dei.

scientiam visionis : ergo ipsa scientia visionis non potest efficere complementum prædeterminationis : ergo per nullam scientiam efficit Deus respectum illum rationis , per quem completur & constituitur actus liber Dei.

334 Minor illa prima quoad secundam partem sic demonstratur primo. Quia ut in tract. de ente rationis latissime probauimus , nulla potentia appetitiua potest facere ens rationis ; videantur dicta tali tractatu , quæstione per quam potentiam fiat ens rationis ne actum agamus ; sed voluntas diuina nullum potest fabricare ens rationis per quod ultimo compleatur in ratione volentis libere. Secundo quia vel ille respectus rationis sit à volitione necessaria , vel à volitione libera diuina , non à volitione necessaria ; quia volitio necessaria Dei solum terminatur ad ipsum Deum vel ad creaturas possibiles , & nullo modo respicit aut terminatur ad futuras , & existentes ; nec est causa , quare hæc potius creaturæ , quam aliæ existant : ergo à volitione diuina non potest oriri respectus , seu tendentia illa rationis , quæ non necessario sed contingentiter respicit obiectum , & non æqualiter ad omnes creaturas , sed ad has potius , quam ad illas terminatur.

335 Neque à libera ; quia si esset à libera , esset ut effectus à causa ; nam si voluntas libera Dei esset causa entium realium , quæ non sunt Deus quia omne quod non est Deus , est à Deo libere volente tanquam à causa completa : sed ens rationis non est Deus , nec est primum ens sed potius ad modum entis creati : ergo à fortiori est à Deo libere volente tanquam à causa completa in suo esse , sed nullus effectus , ut supra late probauimus est complementum , & constitutum formale essentialiale suæ causæ ; ergo respectus ille rationis , qui profuit à Deo libere volente tanquam effectus à causa , nullo modo complet , neque constituit formaliter actum liberum Dei.

336 Secundo Principaliter sic probatur , quia omnis relatio rationis resultat ad modum relationis realis , sed relatio realis resultat posito fundamento , & termino ; quæ sunt causæ talis relationis : ita ut ante positionem utriusque extremi simul nullo modo possit resultare relatio realis , v.g. Paternitas non resultat , nisi ponatur substantia generans , quæ est fundamentum , & substantia genita , quæ est terminus paternitatis : ergo relatio illa , seu respectus rationis , quæ ponitur ad constituendum decretum liberum , non resultat in Deo , donec simul existant terminus , & fundamentum illius : atqui terminus talis relationis est creatura futura , & actualis : ergo prius datur prioritate naturæ creatura futura , quam resultet relatio rationis in voluntate diuina , quia semper prior natura est causa , quam effectus , cum autem terminus relationis sit causa resultantis relationis , necesse est , ut talis terminus , qui est creatura futura prius ponatur , quam detur illa relatio in Deo. Itaque creatura futura est prior illa relatione & causa illius : ergo simul est prior decreto libero , & causa illius , quia quod est prius ultimo constitutio alicuius , & quod est causa illius est prius toto constituto per illud ut supra sectione præcedenti ratione prima contra P. Herize late demonstrauius , sed vltimum constitutum actus liberi per vos est relatio , seu respectus rationis habens pro termino , quem respicit & ad quem terminatur , creaturam

futuram , vel actualem , & creatura futura , ut futura , & ut distinguitur à possibili , est prior tali respectu rationis , & causa ipsius : ergo euidenter sequitur esse priorem , & causam respectu totius decreti liberi , quatenus liberum est : sed hoc est falsum , quia idem non potest esse causa suæ causæ , alias de primo ad vltimum à se ipso causaretur & esset causa sui ipsius , quia quod est causa causæ , est causa causati per illam , atqui si creatura futura esset causa decreti liberi , esset causa suæ causæ quia decretum liberum , ut supra late demonstrauius , est causa creaturæ futuræ ; ideo enim , creatura futura est , & transiit de possibilitate in actualitatem , quia deus libere voluit talem transitum : ergo iam creatura futura esset causa sui ipsius , quod est absurdum : ne igitur hæc dicantur , attendendum est , actum liberum qui est causa futuræ creaturæ minime constitui per respectum rationis habentem pro termino , & causa suæ resultantis creaturæ futuræ , sed potius constitui increatum , & infinito constitucio independenti , & in causato à quacunque creatura.

Dices , terminum formalem relationis non esse priorem illa , sed simul cum illa.

Sed contra , nam licet hoc falsissimum sit , ut patet ex nuper dictis , quia terminus formalis est causa resultantis relationis , & euidenter liquet ex ijs , quæ diximus in Logica prædicamento relationis , nihilominus ad præsens institutum do , esse simul terminum , & relationem , & hoc concessio , sic demonstro falsitatem opinionis aduersariorum , nam per vos creatura futura quæ est terminus formalis talis respectus rationis , est simul cum ipso respectu rationis , sed decretum liberum est prius creatura futura : ergo decretum liberum est prius respectu illo rationis . Patet consequentia , quia quod est prius aliquo est prius etiam respectu illius , quod est simul cum posteriori respectu illius prioris , verbis gratia , si Petrus est simul duratione cum Paulo , necesse est , ut sit prior duratione Petro , qui est simul cum Paulo : ergo si decretum liberum est prius natura , & causalitate creatura futura , & respectus rationis ad creaturam futuram , est per vos simul causalitate , & natura cum creatura futura , euidenter sequitur decretum liberum , quod est prius natura , & causalitate creatura futura esse etiam prius respectu rationis , qui est simul causalitate , & natura cum creatura futura , quia sicut se habent simul prius , & posterius in duratione ; ita se habent posterius , & prius simul ordine naturæ , & causalitatis .

Sed quod est prius causalitate , & natura alio modo nullo modo potest constitui formalissime per posterius se ipso , ut substantia generans non constituitur formalissime per substantiam genitam , & ideo Pater æternus quia est prior origine Verbo diuino , nullo modo potest constitui formalissime per filium : ergo decretum liberum quod est prius respectu rationis ad creaturam futuram , non potest villo modo formaliter , & essentialiter constitui per illam .

Dices , etiam si respectus rationis sit simul cum creatura futura , nihilominus non est posterior natura ipso decreto libero .

Sed contra , quia ut ex nuper dictis patet , oppositum demonstratum manet , sed demus esse verum , quod aduersarij dicunt , nihilominus tamen certissimum

certissimum est, respectum rationis terminatum ad creaturam futuram non esse priorem ipso decreto libero causante creaturam futuram, quæ est terminus talis respectus rationis sicut, v. g. impossibile est, quod paternitas in creatis sit prior substantia generante patris quæ est causa substantia genitæ, ad quam terminatur relatio paternitatis, & quam habet pro termino formali ipsa, imo in certa Philosophia habetur pro certo, sicut substantia generans est prior substantia genita, ita etiam esse priorem relatione paternitatis, quæ terminatur ad substantiam genitam; atqui si decretum liberum ultimo, & formaliter constitueretur per respectum, seu relationem rationis terminatam ad creaturam futuram, talis respectus rationis esset prior ipso decreto libero; quia omne constitutum est prius constituto, ut albedo est prior albo, & anima rationalis est prior homine; & quæcunque pars est prior suo toto; quia, totum est effectum, vel quasi effectum formale partis: ergo adhuc supposita hac ultima solutione vestra impossibile est decretum liberum Dei, constitui formaliter & essentialiter per respectum rationis dependentem tanquam à termino à creatura futura causata ab ipso decreto libero Dei; sicut impossibile est substantiam generantem Petri in esse talis constitui formalissime, & essentialiter per respectum paternitatis terminatum ad substantiam genitam & dependentem ab illa, quæ est effectus, & causatur à substantia generante; unde sumpto pro medio termino huius respectus rationis evidenter demonstratur talem respectum rationis non posse esse constitutum formale, & essentialiter decreti liberi Dei.

Nunc autem sumpto pro medio fundamento talis relationis, manifeste, & efficaciter probatur idem intentum; quia omne fundamentum relationis resultantis in illo est prius ipsa relatione resultantem; quia fundamentum est causa talis relationis, unde nullus huc usque ausus est dicere, relationem paternitatis non esse posteriorem substantia Petri generantis; de hoc ergo fundamento interrogo à vobis, quod sit, an sit volitio necessaria an libera; libera non potest esse; quia id quod constituitur essentialiter per aliquam relationem non potest esse fundamentum talis relationis; v. g. quia hoc concretum, simile formaliter constituitur per relationem formalem similitudinis, non potest esse fundamentum talis relationis, quia fundamentum est causa relationis & concretum, seu constitutum per talem relationem est effectus formalis illius: atqui idem non potest esse causa & effectus simul respectu eiusdem; ergo non potest esse fundamentum relationis, & simul constitutum, seu concretum respectu eiusdem relationis, quam fundat; sed decretum liberum Dei per vos formalissime, & essentialiter constituitur per respectum rationis ad creaturas futuras: ergo idem decretum liberum non potest esse fundamentum eiusdem relationis per quam constituitur.

Nec etiam tale fundamentum potest esse volitio necessaria; quia adhuc posita volitione necessaria, qua amat Deus seipsum, & creaturas possibiles, nondum datur creatura futura: ergo nondum datur respectus rationis ad creaturam futuram; patet consequentia, quia quando non datur causa alicuius effectus non potest dari talis effectus; effectus enim sine causa non habet esse, sed ex vi volitionis necessaria non

datur creatura futura, quæ utpote terminus, & specificativum formale respectus rationis ad ipsam est causa formalissima, & necessaria talis respectus: ergo ex vi volitionis necessaria non resultat respectus rationis ad creaturam futuram in voluntate Dei, quia ex vi illius actionis solum resultat relatio, ex vi cuius ponitur terminus talis relationis; quare ex vi generationis resultat paternitas ad filium, quia ex vi generationis ponitur, & producit terminus paternitatis, qui est substantia genita: sed volitio necessaria non causat creaturam futuram, & actualement, alias creaturæ futuræ, & actuales necessario fierent à Deo, & non libere, quod est hæreticum, quia ille terminus producitur necessario, & non libere; qui ponitur, & producitur per volitionem necessariam, & non liberam, ideo enim spiritus sanctus necessario, & non libere producitur à Patre, & filio, quia producitur per volitionem necessariam, & non liberam; sed per vos per volitionem necessariam, & non per liberam ponitur creatura futura, quæ est terminus talis relationis rationis: ergo necessario ponitur talis creatura futura, imo necessario, & non libere ponitur in Deo relatio ad illum terminum patet consequentia, ideo relatio spiritoris activi in Deo est necessaria, & libera in Deo, quia datur in Deo ex vi volitionis necessaria, & ex vi termini producti per volitionem necessariam: sed relatio illa rationis ponitur ex vi volitionis necessaria, & terminatur ad terminum productum per volitionem necessariam: ergo talis relatio necessario conveniet Deo: ergo constitutum per illam erit necessarium in Deo, & non liberum: ergo actus liber non constituitur per talem relationem.

Deinde, quia nulla est ratio, quare volitio necessaria quæ versatur in amore Dei & præcedit ratione volitionem liberam, magis determinetur per respectum rationis ad has creaturas, quam ad illas, quare enim potius resultet illa relatio, quam hæc, cum pro illo priori rationis æqualiter se habeat ad omnes: ubi notandum est discrimen inter scientiam liberam, & volitionem, quod ad illam præsupponitur existentia obiecti, sive præterita sive præsens, sive futura; nam ideo cognoscit esse rem futuram aut præsentem, quia ipsa futura, aut præsens est, ut ostendi supra, in volitione è conuerso se res habet; quippe ideo res existit, quia Deus vult illam existere: ergo non potest declarari volitio libera Dei per respectum rationis resultantem; quoniam ad eam resultantiam nullum præcedit fundamentum, si in Deo esset aliquis actus liber præcedens respectum ut est in nobis, dici quidem posset, eum esse fundamentum respectus; at tunc volitio libera non consisteret in respectu, sed in actu, qui præcessit: ergo cum solus actus necessarius præcesserit ex æquo se habens in ordine ad creaturas, ponitur iste respectus sine fundamento.

SVBSECTIO I.

Tertio principaliter argumentor.

341 **D**eus efficit creaturas per suam volitionem, seu quia eas vult, ut patet ex locis Scripturæ; non potest autem eas efficere per relationem rationis; ergo volitio creaturarum in Deo, seu Deum velle creaturas, non consistit in ente, aut relatione rationis. Minor probatur, quia relatio præsertim rationis non est actiua, & idem argumentum est in scientia visionis, per eam enim gubernat Deus; nam ex præiudiciis meritis Christi confert nobis dona suæ gratiæ, & ex præmissis meritis nostris confert præmia, & supplicia; non autem gubernat per relationes rationis, & sic Molina prima parte, questione decimaquarta, articulo 15. & questione 19. articulo secundo, disputatione secunda & tertia, & articulo tertio, affirmat, Deum non efficere, nec gubernare creaturas per entia rationis conuenientia diuinis actibus, sed per fundamenta illorum, quod falsum erit, nisi in fundamentis intelligatur velle amare, & videre creaturas, & ipsarum opera: ergo actus isti liberi Dei nihil rationis intrinsecè inuoluunt. Et sane si voluntas diuina sine vlla reali determinatione ad intra posset agere ad extra, non videretur omnino absurdum idem concedere in aliqua voluntate creabili; quod tamen nullus admittit: ergo nec in voluntate diuina dicendum est, eo quod de ratione voluntatis est nihil ad extra agere, nisi vere, & realiter præuolendo illud; nec voluntas habet vim agendi immediate ad extra, sed mediante suo actu interno ad opus externum terminato.

Præterea; quia amor simplex complacentiæ, quo Deus necessario diligit creaturas (ut recte docet Fonseca *tom. tertio*; *Metaph. libro septimo, capite 8. questione quarta, sectione 5. & questione 5. sectione 4. & 5.* & Pater Suarez, *tom. secundo, Metaph. disputatione 30. sectione 9. numero 13. & 34. & sectione 16. numero 36. & 37.* ubi tamen oppositum putat probabile,) non inuoluit respectum rationis, sed formalissime, & in suo ultimo complemento est realis: ergo idem dicendum est de amore libero creaturarum; quia non minus vere realiter, & propriè eas amat simplici amore complacentiæ necessario, quam efficaci libero.

342 **U**terius; Nam si velle diuinum completeretur intrinsecè per ens rationis, ex eo quod fieret de volente nolens, aut de conuerso, non mutaretur realiter, sed secundum entia rationis, quod nulla esset imperfectio, & sic posset tribui Deo, sicut ei tribuit Ioannes Antonius delphicus passim, *lib. de rerum euentu*, præsertim, *pag. 23. vsque ad 29.* quod est contra Scripturas, & Patres docentes, esse magnam imperfectiorem, & ideo longissime distare à deo mutari secundum voluntatem aut consilium, fierique de volente nolentem, aut contra. Vide Iustinum in *reprehensione Gentilium*, ad secundam interrog. & in *responsion. ad 36. quest. Gentilium*, item Ildorom primo, de *sum. 60. cap. 1. Amb. 1. de fide, cap. 5. Augustin. 11. de ciuit. capite quarto, & 6. & 11. & 5. de Trinitate, cap. 16. Irenæus libro secundo, capite 64. Cyril. libro de recta fide ad Theodosium. Bern. *serm. 8. in Cant. 1. Regum. 15.* penitentie non flectetur, nec enim homo est ut agat penitentiam. *Hebr. 6.* [immutabilitatem consilij sui,] *Malach. 3.* [ego Deus, &*

& non mutor,] *Iacobi 1.* [apud quem non est transmutatio,] &c. de quo loco optime Fonseca *tom. 3. Metaph. lib. 7. c. 8. q. 4. sect. 7. ad 4.*

Urgetur; quia nulla perfectio diuina, præter actum liberum, constituitur per ens rationis, & tota ratio est, quia ens rationis, vti ens fictum, nullam dicit perfectionem realem veram, & multo minus perfectionem infinitam simpliciter, & increatam; qualis debet esse illa, quæ constituit attributum, aut excellentiam diuinam; sed etiam actus liber Dei est perfectio realis infinita, & increata: ergo nullo modo potest constitui formalissime, & ultimo per ens rationis.

Nec valet dicere, cæteras perfectiones diuinas non requirere contingentiam, ac proinde non constitui ente rationis, actum autem liberum habere contingentiam rationem indifferentem; & ideo indigere constitutio rationis, ut sit liber & contingens, quia quidquid deus est, & in deo intrinsecè est, nullam habet contingentiam, sed summam necessitatem.

Sed contra manifeste, quia indifferentia diuina, ad quam petis ens rationis, est vera, & realis indifferentia, sicut est vera & realis libertas, quia de fide est, Deum vere, & realiter sine vlla fictione intellectus esse liberum; sed vera, & realis indifferentia non potest constitui per ens rationis, & fictam entitatem, sicut substantia non potest constitui in esse substantiæ per accidens, & Deus in esse Dei per creaturam: ergo tale ens rationis ad libertatem diuinam nullius momenti est: ergo nullo modo libertas diuina per ens rationis constituitur. Quare excogitandus est modus, quo libertas diuina saluetur intra perfectionem diuinam, ratione purissimæ eminentiæ diuinæ propter æquiualentiam purissimam ad contingentiam, & distinctionem libertatis creatæ eo modo, quo *quest. sequenti*, à nobis assignabitur; si autem non poteris conciliare libertatem diuinam, & diuinam indifferentiam cum necessitate formali essendi diuinitatis, fatendum potius tibi erit, arcanum huius mysterij, quam constituentem perfectionem infinitam actus liberi imperfectiōibus fictis entis rationis, tuam ignorantiam stulte cartis, & tractatibus ad posteros propagare.

Deinde; quia si propter contingentiam constituitur actum liberum dei respectu rationis, qui non est ipse Deus, melius esset tibi constituere actum liberum per connotatum extrinsecum reale creatum; quod vere, & realiter contingens est, & alioqui non est fictum, sed ens reale, ac proinde vere, & realiter id, quod constituitur à tali connotato, non erit fictum, chimericum, & metaphoricum, quale est id, quod resultat ex Deo, & ente rationis, quod est aperte contra testimonia Sacra Scripturæ & Sanctorum Patrum, quæ non fictam, sed veram, & realem libertatem concedunt Deo.

Si autem dicas, nolle constituere actum liberum per creatum connotatum, quia ex deo, & creaturis, vtpote extremis maxime distantibus nihil per se vnum, aut nihil dicens perfectionem potest resultare; efficaciter contra te insurgo; quia plus distat ens rationis à deo, quam ens reale creatum ab ipso; & minus perfectio realis habet ens rationis fictum, quam ens reale verum, etiam si creatum sit, ac proinde minus vnum ens per se potest resultare ex ente rationis, & deo, quam ex ente vero reali, licet creato, & ipso; nam ex humanitate Christi

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 355

Christi, & Verbo diuino resultat vnus ens per se, & ex ente reali, & rationis nullo modo potest resultare ens per se; quare non potest negari, quod concretum ex Deo & ente reali creato, excedat maxime in veritate, proprietate, & realitate concretum constitutum ex Deo, & ente rationis, quia praeter imperfectionem, quae datur distinctionis, & distantiae inter creaturam, & Deum, quae maior est inter ens rationis, & ipsum datur alia maxima imperfectio in ente rationis, scilicet, quod non sit vera, propria, & realis entitas: sed ficta, impropria, & metaphorica; quapropter si ratione illarum minorum imperfectionum non audes constituere decretum liberum ex Deo & creatura, à fortiori deberes tenere constitutionem decreti liberi per respectum rationis & voluntatem diuinam propter easdem; imò, & alias maiores imperfectiones, quae dantur in hac tua constitutione per ens rationis, seu relationem fictam.

347 Deinde; quia sicut ad verificationem multorum mysteriorum in diuinis, verbi gratia, ad communicationem diuinitatis, non communicata paternitate ad generationem Verbi per intellectum, & non per voluntatem, supposita identitate harum perfectionum inter se, & ne verificentur duo contradictoria simul in eodem respectu eiusdem, indigemus sine dubio aliqua distinctione inter talia attributa, & nihilominus non confugimus ad distinctionem rationis; quia haec est fictitia, vmbatilis, & nullius momenti ad mysteria illa, quae sine vlla fictione vere, & realiter contingunt; vnde cum non possimus tribuere distinctionem formalem à parte rei, confugimus ad distinctionem virtutalem eminentissimam à parte rei; qua secundum exigentiam dignitatis mysterij conciliamus difficultates adeo abstrusas, & arcanas; ita similiter ad conciliandam diuinam libertatem, & indifferentiam (quae non est ficta & metaphorica, sed vera, & realis) cum necessitate omnimoda diuini esse, non debemus confugere ad vmbatiles fictitias, minutas, & imperfectissimas fallacias mentis; quia haec nihil possunt deseruire ad vera, infinita, & increata mysteria; sed potius si non ad contingentiam formalem essendi, & non essendi; quia hoc vetat & interdicat fides catholica propter imperfectionem maximam illius indignam omnino Deo, saltem minimum debemus nos conferre in summam & actualissimam diuinæ puritatis, & actualitatis eminentiam, cui ratione propria & excellentissimae perfectionis conuenit contingentia æquiuenter, & virtualis, de qua late, *quest. sequenti*, cui innitentes & ipsa manu ducti splendidissimoque ipsius radiantis luminis fulgore circumfusi sine vlla tergiversatione, incommodo, & dubitatione facillimo negotio poterimus conciliare hæc mysteria, & quarumcunque difficultatum in contrarium obstitentium repagula superare, & veritatis scopum recta collimare.

348 Præterea, relationem illam rationis sic impugno; quia Deus ideo libere vult quia cum indifferentia ita vult hanc creaturam creare ut potuisset pro libito velle illam non creare; & hoc idem vere, & proprie, & non improprie: non igitur hoc contingit ratione relationis, seu respectus rationis, sed ratione alicuius, quidquid demum id sit, quod naturæ ordine relatione rationis antecedit; siquidem relatio volentis ad volitum simul natura est cum relatione voliti ad volentem; ut patet ex oppositarum relationum proprietate; rela-

I. P. Tom. II.

tio autem volita fundatur in re volita, quæ ut volita posterior natura est ipso actu voluntatis, à quo causatur, ac proinde ipse respectus posterior est ipso decreto, & sic non potest constituere decretum; ex quo colligo, fictitium etiam esse id, quod asserunt aduersarij, scientiam visionis constitui etiam respectu rationis; nam interrogo, quis producat talem respectum rationis; si dicas ipsam scientiam visionis: ergo ipsa scientia causet suum constitutum, & sic erit completa antequam compleatur; vnde antequam adueniat respectus ille rationis, iam erit vltimo determinata, & plene constituta: de illo enim constitutuo interrogo, si est reale vel rationis; si reale: ergo superfluit ens rationis; si est ens rationis, iterum quæro à quo fiat, & quidquid responderis, dabitur processus in infinitum.

Tandem quis sibi poterit persuadere, omnes actus diuinarum virtutum, verbi gratia, charitatis, liberalitatis, misericordiae, iustitiae, & similia esse entia rationis, alias tota sanctitas, vita, & perfectio Dei ens rationis erit; vnde totus Deus non verus, & proprius Deus, sed deus fictus, & apparens vocandus erit; quia tale est ens, & talis est essentia, quales sunt perfectiones & exercitia illius; sed si constituentur actus liberi Dei, qui sunt perfectiones diuinæ charitatis, iustitiae, misericordiae, &c. entibus rationis, tales perfectiones erunt entia rationis simpliciter, & non entia realia: ergo iam Deus, cuius perfectiones sunt, erit Deus fictus & non verus, proprius, ac realis Deus.

Sequela illa sic demonstratur, quia omne concretum & constitutum denominatur ab imperfectiori constitutuo simpliciter, & absolute, & non à perfectiori; ut videre est in homine, qui denominatur corruptibilis ab vnioue, & non incorruptibilis ab anima rationali, & corpore, & vniuersale vocatur ens rationis à relatione rationis, & non ens reale à natura reali, alias posset aliquis sapiens dicere dari vniuersale à parte rei absolute, ac simpliciter, quod exhibetur, & ridetur in Platone. Item concretum ex homine, leone, & ceruo absolute, & simpliciter dicitur chimæra, & ens rationis fictum solum propter vniouem rationis inter illa entia, & non vocatur ens reale propter entitates hominis, leonis, & cerui, ex quibus componitur, quæ veritas ut sæpe dixi, fundatur in illo principio, bonum ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu; sed actus illi vitales virtutum diuinarum, seu perfectionum constituuntur vltimo, & formaliter in ente rationis, & relatione, seu respectu ficto per intellectum: ergo licet constituentur ex alia parte Deo potius ex ente rationis denominabuntur, & erunt entia rationis absolute, seu entia fictitia, quam ex diuinitate entia realia; vnde sine dubio fictitiae Deus miscbitur, & fictitiae iustus erit, imò vinct Deus vitam fictitiam, & erit sapiens fictitiae & solum per rationem; vnde sine dubio imperfectior erit vita Dei nostra; cum nos viuamus vitam veram, & realem, & non constituatur vita nostra, neque perfectiones nostrae entibus rationis, increatae autem diuinæ, & vitales perfectiones talibus entibus rationis constituentur: ne ergo hæc absurda sequantur, dicendum est, actus liberos Dei constitui per respectus & relationes rationis.

Aliqui respondent, cum dicitur, actus liberos Dei

Y y z

Dei

Dei constitui relationibus rationis, intelligendum id esse, quoad nostram cognitionem, non quoad eorum constitutionem.

352 Sed contra; quia hæc solutio non est ad rem; quia questio non sit de cognitione actuum liberorum Dei, sed de eorum esse; quod ipsorum cognitionem antecedit.

353 Dices, & est aptior solutio, actum liberum non constitui per relationem formalem rationis, sed per fundamentum talis relationis, explicatum per respectus rationis supradictos.

354 Sed contra insurgit efficacissime P. Suarez inquirendo ab adversariis, quid sit in divina voluntate tale fundamentum; aut enim est ipsum velle Dei necessarium, ut sic, aut aliquid à parte rei ei formaliter superadditum; primum dici non potest, tum quia illud fundamentum semper, ac necessario est; posito autem eodem fundamento, & termino, eadem relatio nata est constringere, siue rationis siue realis: esset ergo illa relatio non libera, sed necessario, tum etiam quia ex modo concipiendi nostro constat, ex solo velle Dei necessario ut sic nullam nobis præberi occasionem apprehendendi relationem aliquam, vel habitudinem ad objecta creata; quia per illud velle ut necessarium solum concipimus Deum ut se amantem: ergo in illo ut sic nulla relatio rationis ad creaturas ut in seipsis existentes fundari potest; si autem dicatur secundum, inciditur in opinionem Caietani ab omnibus Theologis catholicis reprobata, nobisque in fine huius questionis fortiter oppugnanda, nam illud additum aliquid rei est, non rationis, quia est fundamentum ex parte Dei & volitionis eius, ut cum illo respectu concipi possit, ostendimus autem iam huiusmodi fundamentum non esse aliquid rationis, sed rei; alias si illud fundamentum esset ens rationis de eodem, & contra ipsum insurgerent omnia supra posita argumenta, & præterea proceditur in infinitum.

355 Rursus illud non potest esse aliquid necessarium si ens reale est; tum quia dicitur esse quid additum ipsi velle necessario; tum etiam quia non magis posset esse fundamentum, quam ipsum velle necessarium ut sic: ergo erit aliquid liberum quo Deus proxime, ac formaliter constituitur actu volens creaturas; hoc autem ipsum est quod Caietanus assererat.

356 Et confirmatur primo, quia impossibile est transire à contradictorio in contradictorium; nisi facta aliqua mutatione, vel additione in altero extremo; sed Deus quatenus præcise volens actu necessario ut sic non est volens creaturas futuras aut existentes (loquor semper de voluntate creaturarum in se ipsis, ut omittam complacentiam earum secundum esse, quod habent in omnipotentia) & deinde intelligitur volens creaturas futuras, & existentes: ergo necesse est aliquid esse additum vel ipsis, vel creaturis, ratione cuius intelligatur interea esse illa habitudo, quæ antea non erat; sed non potest additio intelligi facta creaturis, ut ostensum est: ergo esse debet in voluntate divina.

357 Urgetur amplius; quia fundamentum relationis rationis, quod ex parte rei sumitur, aliquid reale esse debet; nam si esset aliquid rationis procederetur in infinitum, & totum esset mera fictio; aliquid ergo supponitur in re, quod occasionem præbet intellectui ad fabricandum respectum rationis, & illud vocamus fundamentum ex parte rei; hoc ergo fundamentum in præfenti

esse non potest, nisi vel aliqua res extra Deum extrinsece denominans ipsum vel aliqua res intra Deum ipsum: primum dici non potest in præfens, quia ut contra opinionem Patris Herize ostendimus, Deus non dicitur volens per extrinsecam denominationem, nec cogitari potest, à quo proveniat illa extrinseca denominatio, nam vel proveniat à creatura possibili, ut sic, & hoc non; tum quia alias illa non esset denominatio libera, sed necessaria, tum etiam quia esset indifferens, & communis omni rei possibili, vel provenit à creatura ut futura, vel existente aliquando, & hoc etiam dici non potest; quia omnis creatura est actu existens, vel futura eo quod Deus per voluntatem suam libere vult eam esse: ergo relatio, quam Deus, ut actu volens dicit ad talem creaturam, non potest fundari in denominatione sumpta ab ipsa creatura, ut existenti, vel futura; nam Deus sicut ex se solo se libere determinat, ut hoc velit potius, quam illud, ideo non videtur ille respectus posse prius, in alio extra Deum fundari, sed potius in ipso met Deo, & in ipsa eminentissima perfectione divini esse, eo modo quo à nobis explicabitur questione sequenti.

SVBSECTIO II.

Ultimum argumentum principale ponitur.

358 **Q**uia si actus liber Dei efficax producendi Petrum, & scientia visionis videns producendum esse Petrum constituerent formaliter, & essentialiter per relationem rationis provenientem à Petro creando; sequeretur manifeste eodem modo convenire Deo hæc nomina, creator Dominus, ac hæc sciens Petrum esse futurum, & libere volens creare Petrum quantum ad hoc, quod eorum materiale significatum, cui relationes conveniunt, sit Deus in quantum pollet scientia simplicis intelligentiæ simpliciter necessaria, & absoluto, ac simpliciter necessario amore complicitatæ, per quos actus potens est creare, ac dominari; sed significatum formale horum omnium nominum sit relatio rationis creaturis accepta.

359 Consequens autem esse falsum, patet ex D. Th. 1. p. 9. 14. art. 15. ad 1. dicente [Dominus Creator, & huiusmodi: prædicata important relationes, quæ consequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creaturas secundum quod in se ipsis sunt, & ideo varie de Deo dicuntur secundum variationem creaturarum.]

360 Sed scientia, amor & huiusmodi important relationes, quæ consequuntur actus qui intelliguntur in Deo esse & ideo invariabiliter prædicantur de Deo] quod discrimen intelligendum est, non de significato materiali (cum evidens sit, & de fide Deum secundum essentiam, & secundum essentialem sibi sapientiam, voluntatem, & potentiam esse Creatorem) sed intelligentium est sine dubio de significato formali, à quo nomen Creatoris imponitur, ut optime docuit Magister sententiarum in 1. dist. 35. ad hoc iuxta; his verbis: [Creator ita dicitur relative, ut essentiam non significet; at vero præscientia, prædestinatio, & dispositio significant essentiam.] Quibus verbis subscripsi Sanc. Bonaventura ibidem dub. literali 4. & magis explicat Ricardus in fine distinctionis eiusdem, ut

vt creator asserat, relationem secundum rationem, non vero præscientia; prædestinatio, & dispositio. Clarius autem, & magis acute explicat hanc doctrinam Henricus quodlibet 9. q. 1. distinguens in Deo duplices relationes rationis quædam sunt, quæ secundum rem præsupponuntur aliquomodo in creatura, & per quandam correspondentiam vt ipse ait, formantur in alio extremo, scilicet Deo, & huiusmodi sunt relatio Creatoris, Domini, & similes, quæ actionem transeuntem consequuntur; alia vero sunt, quæ per se primo formantur in ipso Deo, vt relatio prædestinantis, eligentis, volentis, &c. in hoc ergo genere collocandus est hic respectus, quem intelligimus consequi ad determinationem liberam; fundamentum ergo eius non in aliqua re extrinseca, sed in ipso Deo quærendum est, quia in voluntate, & ante volitionem liberam nihil supponi potest, sed potius ipsa determinatio libera supponitur ante omnem creaturam, & mutationem eius; quia omnis varietas, quæ in obiectis intelligi potest, ab ipsa voluntate tanquam à causa prima causatur, & primo, ac per se originem trahit ab ipsamet omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis respectus, in quo distinguitur à denominatione creatis, & producentis Petrum, quæ à creatione, seu productione Petri originem trahens, refunditur in Deum; ergo non eodem modo conueniunt Deo denominationes Domini, & creatis, ac denominationes volentis, & scientis.

361 Vrgetur amplius, quia ex sententia aduersariorum vana redditur illa quæstio, vt optime notat P. Ruiz, quæ Theologorum omnium consensus censetur esse grauissima videlicet, vtrum præscientia nostrorum operum supernaturalium impulerit Deum, vt homines istos potius, quam alios prædestinaret; vel potius Dei prædestinatio causa fuerit meritum, & consequenter prædestinatio determinauerit intellectum Dei, vt præsciret homines istos esse bene operaturos finaliter. Nam apud omnes catholicos est certum fidem, & obseruantiam diuinæ legis perseuerantem vsque ad finem vitæ causam meritoriam, & rationem esse gloriæ, quo supposito, relationes rationis constituentes diuinam præscientiam, & prædestinationem eodem ordine se respiciunt necessario; nec erit possibile etiam de potentia absoluta, vt prædestinatio ad gloriam sit ratio causandi merita, ita vt propterea Deus efficaciter moueat Petrum ad fidem, & opera pietatis, quoniam cum prædestinavit ad gloriam, vbi est ergo illud *ad Roman. 9.* [non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.]

362 Et infra, [cuius vult miseretur, & quem vult in durat?] quod certissimum est in voluntate antecedenti, quæ prius terminatur ad gloriam quam respiciat merita in omnium sententia. Deinde quia voluntas creata realiter, & vere concurret cum Deo ad producenda quælibet opera pietatis, quibus obtinetur gloria; sed ex istis operibus, vel ex concursu Dei ad illa resultat relatio rationis, qua completur, & vltimate constituitur determinata prædestinatio Petri: ergo voluntas Petri causa est, vt ipse sit prædestinatus. Nec potuit aliter prædestinari, nisi prædicta causalitate, præterea, sic enim fuit impossibile conditionali scientia futurorum operum dirigi Dei prouidentiam, vt hominem constituat in circumstantiis, sub quibus præuidet, esse bene operaturum, & perseueraturum.

Declaratur euidentius hæc veritas in reprobatione, in cuius tractatu omnes Doctores tanquam indubitabile supponunt, fuisse possibile saltem de potentia absoluta non reprobare homines, nisi propter præuisa peccata finalia. Similiterque fuisse possibile reprobare ante præuisionem volendo negare illis prædestinationem; hæc autem possibilitate præsupposita, Doctores ita reiciunt alteram partem, vt eo ipso putent, alteram partem esse concedendam, nec detur medium inter vtramque. Contra vero sententia, quam in præsentia refellimus, vtramque partem excludit vt impossibile de potentia absoluta, nam finalia peccata, & eorum actualis permissio prior est, & quasi origo relationis rationis, qua Dei volitio necessaria, & ex se indifferens completur, & vltimo constituitur in ratione volitionis reprobantis determinate Iudam v. g. eadem autem, vel alia relatione proveniente ex eadem origine constituitur scientia Dei ex se indifferens in ratione scientis determinate finale peccatum Iudæ; quapropter nec fuit possibile præuisionem finalium peccatorum fuisse motiui, aut rationem reprobationis, nec fuit possibile Deum velle negare prædestinationem Iudæ prius ratione, quam præuideret illius finale peccatum. Vtrumque namque simul absque prioritate, aut causalitatis ordine concurret, videlicet determinata reprobatio, & determinata præscientia, nam vtramque determinat, complet, & constituit relatio veniens ab eadem origine.

Præterea sequitur ex hac sententia, vanam esse 364 disputationem, & controuersiam, quæ maximæ difficultatis semper apud Theologos exstitit, Vtrum Deus vniretur humanitati, etiam si Adamus non peccasset, quoniam quantum ad exteriores effectus constat originali peccato Adami damnatum fuisse genus humanum, & à Christo Domino à captiuitate peccatorum, & Dæmonis seruitute redemptum, ac liberatum, quamobrem relationes rationis ab his actionibus Dei, vel Adami resistentes in diuinam scientiam, & volitionem non potuerunt aliter esse, nisi eodem ipso modo, quo de facto sunt ex suppositione peccati Adami; nam si non variatur res; vnde prouenit relatio rationis, non potest variari ipsa relatio supposita inuariabilitate summa rei denominatæ, quæ est necessarius amor complacentiæ rerum possibile; qui nulla ratione potest nunc denominari decretum liberum incarnandi, licet Adamus non peccaret; falsum igitur erit, quod Sanctus Thomas, & ceteri tractatores illius quæstionis supponunt quasi certum, decisionem illius esse quærendam ex libera Dei voluntate, quæ reuelata est in sacris litteris; sequela probatur, contradictionem implicat aliter esse decretum illud quam modo prædicto; ergo non pendet ex diuina libertate.

Tandem sic argumentor, quia actus liber Dei, 365 v. g. prædestinatio actu datur ab æterno, & actu ab æterno nullus datur respectus rationis: ergo actus liber Dei ab æterno non constituitur per respectum rationis. Maior latissime à nobis supra probata manet. Minor sic demonstratur; quia nullus effectus datur actu ante existentiam causæ, & quando non existit illa; sed ab æterno nulla creatura existit, quæ est causa entis rationis: ergo ab æterno nullus datur actu respectus rationis; maximum enim poterit dici esse futuros respectus rationis ab æterno, sicut sunt futura ab æterno creaturæ intellectuales; atqui decretum prædesti-

nandi non solum est futurum ab aeterno, sed actuale, & praesens, & id quod est actuale, & praesens, non potest actu esse, & actu constitui per constitutum futurum sicut v. g. hodie non potest actu constitui in esse praesentis Petrus per animam rationalem, quae actu non est praesens sed solum est futura, & erit postea: ergo decretum praedestinandi, quod actu fuit praesens ab aeterno non constituitur ab aeterno per respectum rationis.

366 Contra Patrem Vazq. peculiariter se se offerunt manifeste contradictiones: nam ipse aperte docet, ut videbimus *tract. de ente rationis* deum nullo modo cognoscere ens rationis, & ex alio capite docet, Deum cognoscere sua decreta libera, tum quia fides docet hoc, tum etiam quia evidens lumen naturae ipsum demonstrat, quis enim potest negare ipsum Deum cognoscere id ipsum, quod decernit; quomodo enim decerneret, aut quomodo amaret sine cognitione illius quod amat; nihil enim voluit quin praecognitum; aut quomodo revelaret multis praedestinationis mysterium, ut posse revelare docet Concilium Tridentinum, nisi ipse deus cognovisset praedestinationem quam revelaret, praecipue quia in hoc peioris conditionis esset Deus, quam homo.

367 Ex alia autem parte dicit, decretum liberum Dei constitui per ens rationis, sed non cognitis ultimis constitutivis rei non potest cognosci res constituta per illa; v. g. non cognito rationali, quod est ultimum constitutum hominis nullo modo potest cognosci homo, & non cognito esse à se, aut non perspecta intellectione purissima, nullo modo potest cognosci Deus; ratio est manifesta, quia praedicatum essentiale alicuius est illud ex propria definitione sine quo nec esse, nec intelligi potest res.

368 Sed respectus rationis per vos est formalissimum & ultimum per se constitutum actus liberi essentialiter: ergo non cognito tali respectu rationis à Deo, nullo modo potest cognosci ab ipso actus liber; atqui ex alio capite per vos cognoscitur, & comprehenditur à Deo: ergo per vos actus liber cognoscitur, & non cognoscitur ab ipso quae sunt manifestae contradictiones.

SECTIO IX.

Sententia Patris Suarez, ut ab ipso explicatur, refellitur.

369 PRIMO, & in memoriam revoco id, quod P. Suarez docet, ut patet ex verbis ipsius adductis supra, dum eius sententiam in medium proculimus, videlicet, actum liberum Dei, esse contingentem & posse abesse, & adesse, non quoad esse, & entitatem, sed solum quoad terminationem in quo discrimen ponit inter actum liberum creatum, & divinum, quia actus liber creatus quoad esse est contingens, quoad terminari vero non. Deinde docet P. Suarez, terminationem illam constituere formalissime actum liberum Dei, quia actus liber dei formalissime debet habere indifferentiam ad volendum & non volendum: quia Deus ita amat, ut poterit non amare. Quibus positis sic argumentor.

370 Quia vel illa terminatio per quam constituitur actus divinus in esse liberi intrinsece, & formaliter, est ipsum esse divinae volitionis necessariae, vel est ipsum esse Dei, aut est esse creatum

distinctum realiter ab esse dei; aut est medium à parte rei inter esse creatum & increatum, ita ut nec sit deus, nec creatura; hoc ultimum dici non potest, quia ut ipse P. Suarez late demonstrat in metaphysica ens reale adaequate dividitur in esse Dei, & in esse creaturae, ita ut nullum detur ens reale, quod non comprehendatur sub aliquo ex his extremis: ergo terminatio illa &c.

Nec potest dici in sententia P. Suarez, talem terminationem esse ens creatum distinctum realiter ab esse dei, tum quia ipse late probat actum liberum Dei non constitui per aliquid creatum, & per aliquid extrinsecum ipsi, sed terminatio illa constituit formalissime ex P. Suarez actum liberum Dei: ergo terminatio illa non est esse creatum; quia iam incederet P. Suar. in eam sententiam, quam late impugnatur, ac proinde sibi ipsi contradiceret, & praeterea contra ipsum insurgerent omnia argumenta, quae contra opinionem Patris Herize supra adduximus, praeterea aliquid maius inconueniens sequeretur contra Patrem Suarez ex principiis eiusdem, quia P. Suarez asserit, totum, & adaequatum actum liberum esse intrinsece in Deo; quia est actus vitalis, & perfectio ipsius, ac per consequens non posse compleri per denominationem extrinsecam sumptam à creatura, aut ab aliquo extra Deum, sicut actus vitalis Angelus, quia talis est non potest compleri per aliquid extrinsecum, sed adaequate, & totaliter est intrinsece in ipso Angelo.

Sed terminatio illa pertinet ad constitutum essentialē ultimum talis actus liberi Dei: ergo actus liber dei secundum illam terminationem intrinsece est in deo, quia intrinsece constituitur ab illa in esse volentis liberē, ac vitaliter: ergo si terminatio est aliquid creatum, erit intrinsece in ipso deo aliquid creatum; & aliquid creatum similiter constituit formaliter in perfectione viventis, ac volentis ipsum deum: sed hoc est summum absurdum, nam in Concilio Remensi contra Gilbertum Porret. aperte definitum est quidquid in deo est, deum esse, & non creaturam: ergo si tu asseris, terminationem illam esse intrinsece in deo, & simul asseris terminationem illam esse quid creatum, ex diametro sine dubio te opponis definitioni Concilij Remensis.

Deinde eadem inconuenientia, quae contra Caietanum eruit, contra te ipsum erueretur; componeretur enim deus intrinsece ex esse diuino & esse creato, &c. ergo nullo modo potest dici, terminationem illam, per quam intrinsece, ac formaliter constituitur actus liber dei, esse ens creatum: ergo solum restat dicendum, primum membrum divisionis, scilicet terminationem illam esse ipsum esse Dei: ergo evidenter sequitur, quod si actus liber Dei est liber, & contingens quoad terminationem, esse liberum, & contingentem quo ad esse dei; patet consequentia, quia terminatio illa est esse Dei per vos, sed per vos etiam terminatio illa est libera, & contingens: ergo per vos esse dei debet esse liberum, & contingens, quare si non potest dici esse Dei esse liberum, & contingens, similiter nec poterit dici, esse liberam, & contingentem terminationem, unde sicut negas, actum liberum esse, similiter se talem, & esse contingentem quoad esse, similiter debes negare, esse contingentem, & liberum quoad terminationem, & è contra, si concedis terminationem esse contingentem, & negas, esse Dei esse contingens, concedendo esse Dei